

*Senex.* O salve tot ducum, regum ac triumphantium, tot sapientum parens et altrix, cujus gremium ex toto orbe nullæ non scientiæ, nulla non omnium virtutum experimentata confluerunt, adeo ut, omni adulatione abiecta, ingenue fateor, nihil neque armis neque doctrina toto orbe floruisse, quod in te una non magis eniteat et in dies elucescat!

*Italia.* Ah me miseram, quæ tantis ornamentis ad divinam prope majestatem accesserim, nunc vero omnibus erumnis, omnibus fere ludibrio excipiar, adeo ut vix reperiās qui habitum servare aut moribus sese italum audeat profiteri! O me erumnosam et e summo majestatis solio, in omnium miseriarum velut ebria delapsam!

*Senex.* Sic esse et ipse vestium squalor et oris palor et omnium membrorum imbecillitas, imo et emanans undique cruor ostendat; unde tibi illa tam erummosa, si placet, expone.

*Italia.* Quid me jubes ea diserrere, quorum recordatione et maceror et mareresco?

*Senex.* Ediscerem tamen, nam dolor minus animum excrutiat, si in alium prorumpat.

*Italia.* Memini ex quo Justinianus ille Imperator et sponsus meus, nostro thalamo despecto, cum greca pellice nostra viveret; variis temporibus diversos procos impetum in me fecisse ex Gethis ducibus, ex Pannonia, ac aliis regionibus, qui me eorum libidini penitus abruentem adeo pessumdederunt, ut preda, incendiis ac cæde omnibus fere membris destituerint. Fuere nobis illa quidem gravia! verum ipsa temporum vetustate, mente delapsa: nunc vero hii nos impetiverunt, qui omnibus modis ita me deformaverunt ut omnia diripuerint, nihil in ædibus relinquerint, in sævissimam cædem familiam traxerint, ancillas constupraverint, nihil sacri non prophanaverint, ac mea membra ita ferro invaserint ut me cruore totam manantem relinquerint, et nondum, exsiccata vulnera.

*Senex.* Video quidem, ac propter ea vix lacrimas contineo.

*Italia.* Ah crudelis! qui nostri non commiseretur.

*Senex.* Crudelis quidem!

*Italia.* Vide faciem, universo orbi quondam summa veneratione conspicuam, nunc squalore ac feodo pallore obsitam, nisi quantum horrendo cruore perfunditur. En brachia illis maximis regibus formidolosa, nunc feedis vulneribus saucia atque ita desiderata ut luxata omnibus appareant: nervi vix me sustinent, tantus tremor ac horror me invasit. Tu diva Areta et tu felix Ubertas sustinete me, fideles no-

bis comites. Tu enim Areta, meis anxietatibus robustior, me non desistis animo confirmare! Tu vero Ubertas, quamquam mecum lacerata ac direpta, in manibus hostilibus in prædam recepta, nulla tamen potuit injuria fieri ut me usquam destitueres! Comes sedula Areta, nullus unquam terror, ne mortis quidem, efficiet ut, optima comes, tibi desinam opitulari, vel si totas in me vires effundat publica illa meretricula universo orbi pernitiōsa fortuna, quæ suis dolis semper conatur nostrum . . . (1) occupare! Ubertas, o me infelicem! quam te jam desolatam video, quæ nobis tam comodum hospitium præstas ut nusquam alibi quam tecum lætior esse possim. Animum bonum . . . (2) habeamus, nam mens mihi præsagit jam nos e tantis procellis quem nuper dicebas portum attingere.

*Senex.* Sic erit, nam certum id mihi est; sed quid est, quod te ut agat atque unum hunc ex tantis locis diligeris ubi te in portum recipias?

*Italia.* Speravi jam diu quod adhuc spero fore, ut Maximilianus invictissimus Imperator, sponsus meus, in thalamum nostrum receptus, ut est nostri decoris maxime studiosus, me malis hiis omnibus levaret. O felicem et faustum illum diem! Verum, dum vario obiectu distantius nimium mihi visus est immorari, huc appellare decrevi.

*Senex.* Non intelligo tamen cur magis huc quam alio te contuleris.

*Italia.* Id pergebam, ut dicerem, nam omnibus locis, quæ nostri sponsi sunt juris, nullum aut obsequentiorem aut nostri observantiorem hac ipsa civitate unquam experta sum, nam, reliquis aut contumacibus aut nostri negligentibus, hæc nulla unquam ætate ab imperio nostro decessit, qui ut optima filia sese ut venerabunda obtuleret aut Imperatoris quam libentissime mandata et exceperit et sit sedule executi.

*Senex.* Optime quidem: nam hoc quoad maxima patet, Italia. Illud quoque me movit quod præcipuum hoc confugium omnium testimonio hujus civitatis gloria ita conformatur, ut ad cæteras virtutes quas sibi habet peculiare, hæc illi præcipue celebratur, tum quod universus populus ejus ab ingenio benignitatis est, tum quod principis mores omnes assequi student cui nihil antiquius nihil clementia divinius existimant.

*Italia.* Quid mihi hujus virtutes narras quas fama in extremis orbis angustis alijs deportavit? Salve o terra nobis in primis grata, quam te liben-

(1) (2) Mancano le parole nel testo.